



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Theologica, Ad Mentem S. P. Avgvstini, De
Radice Intolerabilivm, scandalosarum, & in praxi
perniciosarum propositionum, à summis Pontificibus
Alexandro VII, & Innocentio XI. damnatarum**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1679

De usura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38917

Quadragesima-secunda.

Usura non est, dum ultrà sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.

Decima-quarta inter posteriores ab Alexandro VII. damnatas.

Licitum est mutuanti aliquid ultrà sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

Pro intelligenda propositione quadragesima damnata, observandum est, Contractum Mohatra, vel Baratra ab Hispanis, & Stoco ab Italis appellatum tunc fieri, quando aliquis egens pecuniâ emit pecuniâ creditâ à mercatore merces pretio summo, & statim ei pecuniâ numeratâ pretio infimo revenit, cum intentione lucri, & cum pacto revenditionis, præviè inito.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Quid dicam de usuris, quas etiam ipse leges & judices reddi jubent? An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atquè hujusmodi male utique possidentur, & vellem ut restitu erentur, sed non est, quo judice repetantur. Epist. §4.

Si fœneraberis, id est mutuam tuam pecuniam dederis, à quo aliquid plus, quam dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus, quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud: si plus, quam dedisti, exspectes accipere, fœnerator es, in hoc improbandus, non laudandus. Quid ergo, inquis, facio,

facio, ut sim utilis fænerator? Attende, quid facit fænerator. Minus vult dare certè, & plus accipere: hoc fac & tu, da modica, accipe magna --- da temporalia, accipe eterna: da terram, accipe cælum. In Ps. 36.

Quod autem illi, qui præfatarum propositionum doctrinam ad praxin deducunt, taliter fænerentur, & usuram pallient, exspectantes reipsâ aliquid præcisè ratione mutui, patet intelligenti terminos propositionum, & quid sit usura.

Quadragesima-octava.

Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Quadragesima-nona.

Mollities jure naturæ prohibita non est. Vnde si Deus eam non interdixisset, sèpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Opponitur Doctrina S. Augustini.

Cum vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & per dissfluentias libidinis, attendis quia nullius uxorem accessisti; attendis, quia post uxorem tuam nihil fecisti, quia uxorem non habes: & non attendis per libidinem & illicitas fornicationes, cuius imaginem violasti? lib. de decem Chord. c. 10.

Nihil esse sentio, quod magis ab arce dejiciat animal virilem, quam blandimenta fæminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberri non potest. lib. 1. soliloq. c. 10.

S. Au-